


LATÍN – PRUEBA PRIMERA – PARTE PRÁCTICA



TEXTO EN PROSA PARA TRADUCIR SIN DICCIONARIO

Séneca, *Consolatio ad Marciam* 2.1-4

[ed. L.D. Reynolds *Oxford Classical Texts*]

Scio a praeceptis incipere omnis qui monere aliquem uolunt, in exemplis desinere. Mutari hunc interim morem expedit; aliter enim cum alio agendum est: quosdam ratio ducit, quibusdam nomina clara opponenda sunt et auctoritas quae liberum non relinquat animum ad speciosa stupentibus. Duo tibi ponam ante oculos maxima et sexus et saeculi tui exempla: alterius feminae quae se tradidit ferendam dolori, alterius quae pari adfecta casu, maiore damno, non tamen dedit longum in se malis suis dominium, sed cito animum in sedem suam reposuit. Octauia et Liuia, altera soror Augusti, altera uxor, amiserunt filios iuuenes, utraque spe futuri principis certa: Octauia Marcellum, cui et auunculus et socer incumbere coeperat, in quem onus imperii reclinare, adulescentem animo alacrem, ingenio potentem, sed frugalitatis continentiaeque in illis aut annis aut opibus non mediocriter admirandae, patientem laborum, uoluptatibus alienum, quantumcumque inponere illi auunculus et, ut ita dicam, inaedificare uoluisset laturum; bene legerat nulli cessura ponderi fundamenta. Nullum finem per omne uitae suae tempus flendi gemendique fecit nec ullas admisit uoces salutare aliquid adferentis, ne auocari quidem se passa est; intenta in unam rem et toto animo adfixa, talis per omnem uitam fuit qualis in funere, non dico non [est] ausa consurgere, sed adleuari recusans, secundam orbitatem iudicans lacrimas mittere. Nullam habere imaginem filii carissimi uoluit, nullam sibi de illo fieri mentionem. Oderat omnes matres et in Liuiam maxime furebat, quia uidebatur ad illius filium transisse sibi promissa felicitas. Tenebris et solitudini familiarissima, ne ad fratrem quidem respiciens, carmina celebrandae Marcelli memoriae composita aliosque studiorum honores reiecit et aures suas aduersus omne solacium clusit. A sollemnibus officiis seducta et ipsam magnitudinis fraternae nimis circumlucentem fortunam exosa defodit se et abdidit. Adsidentibus liberis, nepotibus lugubrem uestem non deposuit, non sine contumelia omnium suorum, quibus saluis orba sibi uidebatur.

LATÍN – PRUEBA PRIMERA – PARTE PRÁCTICA



TEXTO EN PROSA PARA TRADUCIR CON DICCIONARIO
COMENTARIO DE REALIA Y SINTÁCTICO

A) TEXTO [7 puntos]

C. Sallustius Crispus, *Bellum Iugurthinum* 27-28

[ed. J.C.Rolfe, 'Loeb Classical Library']

Quod¹ postquam Romae cognitum est et res in senatu agitari coepta, idem illi ministri regis interpellando ac saepe gratia, interdum iurgiis trahundo tempus, atrocitatem facti leniebant. Ac ni C. Memmius tribunus plebis designatus, vir acer et infestus potentiae nobilitatis, populum Romanum edocuisset id agi ut per paucos factiosos Iugurthae scelus condonaretur, profecto omnis invidia prolatandis consultationibus dilapsa foret; tanta vis gratiae atque pecuniae regis erat. Sed ubi senatus delicti conscientia populum timet, lege Sempronia provinciae futuris consulibus Numidia atque Italia decretae, consules declarati P. Scipio Nasica, L. Bestia; Calpurnio Numidia, Scipioni Italia obvenit. Deinde exercitus qui in Africam portaretur scribitur; stipendium aliaque quae bello usui forent decernuntur.

At Iugurtha, contra spem nuntio accepto, quippe cui Romae omnia venire in animo haeserat, filium et cum eo duos familiaris ad senatum legatos mittit eisque, uti illis quos Hiempsale interfecto miserat, praecipit omnis mortalis pecunia aggrediantur. Qui postquam Romam adventabant, senatus a Bestia consultus est placeretne legatos Iugurthae recipi moenibus, eique decrevere, nisi regnum ipsumque deditum venissent, uti in diebus proxumis decem Italia decederent. Consul Numidis ex senatus decreto nuntiari iubet; ita infectis rebus illi domum discedunt.

Interim Calpurnius, parato exercitu, legat sibi homines nobilis, factiosos, quorum auctoritate quae deliquisset munita fore sperabat. In quis fuit Scaurus, cuius de natura et habitu supra memoravimus. Nam in consule nostro multae bonaeque artes animi et corporis erant, quas omnis avaritia praepediebat; patiens laborum, acri ingenio, satis providens, belli haud ignarus, firmissimus contra pericula et insidias. Sed legiones per Italiam Regium atque inde Siciliam, porro ex Sicilia in Africam transvectae. Igitur Calpurnius initio, paratis com meatibus, acriter Numidiam ingressus est multosque mortalis et urbes aliquot pugnando cepit.

B) COMENTARIO DE REALIA [1,5 puntos]

Disértese brevemente sobre los *consules* dentro del ordenamiento constitucional de la República en Roma. ¿Cómo se elegían? ¿Cuántos se elegían? ¿Qué son *potestas* e *imperium*? Funciones, atribuciones y obligaciones. Signos externos del cargo.

C) COMENTARIO SINTÁCTICO [1,5 puntos]

Analícese el siguiente pasaje del texto propuesto.

Qui postquam Romam adventabant, senatus a Bestia consultus est placeretne legatos Iugurthae recipi moenibus, eique decrevere, nisi regnum ipsumque deditum venissent, uti in diebus proxumis decem Italia decederent.

¹ *Quod* = *id*, es decir, que Yugurta se había hecho con el poder en África y había consumado una cruel represión entre los númidas —y foráneos— que se le habían opuesto.



TEXTO EN VERSO PARA TRADUCIR CON DICCIONARIO
COMENTARIO MÉTRICO, FONÉTICO Y MORFOLÓGICO

A) TEXTO [7 puntos]

Q. Horatius Flaccus, *De arte poetica liber* 295-322 [ed. H. Silvestre, Cátedra 'Letras Universales', 1996]

<i>Ingenium misera quia fortunatius arte</i>	295
<i>credit et excludit sanos Helicone poetas</i>	
<i>Democritus, bona pars non unguis ponere curat,</i>	
<i>non barbam, secreta petit loca, balnea vitat;</i>	
<i>nanciscetur enim pretium nomenque poetae,</i>	
<i>si tribus Anticyris caput insanabile numquam</i>	300
<i>tonsori Licino commiserit. o ego laevus,</i>	
<i>qui purgor bilem sub verni temporis horam.</i>	
<i>non alius faceret meliora poemata; verum</i>	
<i>nil tanti est. ergo fungar vice cotis, acutum</i>	
<i>reddere quae ferrum valet exsors ipsa secandi;</i>	305
<i>munus et officium nil scribens ipse docebo,</i>	
<i>unde parentur opes, quid alat formetque poetam,</i>	
<i>quid deceat, quid non, quo virtus, quo ferat error.</i>	
<i>Scribendi recte sapere est et principium et fons.</i>	
<i>rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae,</i>	310
<i>verbaque provisam rem non invita sequentur.</i>	
<i>qui didicit, patriae quid debeat et quid amicis,</i>	
<i>quo sit amore parens, quo frater amandus et hospes,</i>	
<i>quod sit conscripti, quod iudicis officium, quae</i>	
<i>partes in bellum missi ducis, ille profecto</i>	315
<i>reddere personae scit convenientia cuique.</i>	
<i>respicere exemplar vitae morumque iubebo</i>	
<i>doctum imitatorem et vivas hinc ducere voces.</i>	
<i>interdum speciosa locis morataque recte</i>	
<i>fabula nullius veneris, sine pondere et arte,</i>	320
<i>valdius oblectat populum meliusque moratur</i>	
<i>quam versus inopes rerum nugaeque canorae.</i>	

B) COMENTARIO MÉTRICO [1,5 puntos]

Mídanse los versos 301 a 305 del poema.

C) COMENTARIO FONÉTICO Y MORFOLÓGICO [1,5 puntos]

Coméntense las palabras *unguis* (verso 297), *tanti* (verso 304), *nil* (verso 306), *nullius* (verso 320) y *melius* (verso 321).